



**Tragoedia nova, quae inscribitur Paedonethia, argumento ex
veteri testamento sumpto. iam primum Augustae
Vindellicorum edita.**

<https://hdl.handle.net/1874/421191>

TRAGOEDIA

NOVA, QUÆ INSCRI

bitur Pēdonothia, argumento

ex uēteri testamento, sumpto, iam

primum Augusta

Vindelicorum

edita.

PER HIERONYMVM

Zieglerum Rotten-

burgensem.

M. D. XLIII.

CALVMNIATORI

bene agere.

Zoile qui nosti mordere aliena, beatus
Omnia pulchra tuis rebus inesse putas.
Scribimus, ut dicis, fateor non ore disertio,
Nec tamen illa pijs obijcienda uiris.
Nil moror hæc, moueat dum me non spiritus ille,
Qui tibi per nares forte superbus olet.
Exemplum dedimus fidei prius, illa docet te,
Vtq; pater natos instituisse uelis.
Sis modo sincera, qui uertis singula mente,
Et dentem citra dum legis ista puta.

M. D. XLIII.

ORNATISSIMO VIRO,
ET DOMINO MARTINO

Weiß Augustano, omnium stu-
diosorum fautori
insigni.

S.



NIHIL ESSE IN VNIVER-
so rerum ordine, uel magis ne-
cessarium, uel rebus publicis uti-
lius, Ornatissime uir, matura, sed
bona hominis (cuiuscunq; condi-
tionis fuerit) educatione, omnes
sapientes contestantur. Nam per
se animus noster, ceu tabula rasa, in quam si quid boni
pinxeris, tum demum perfectionem sui suscipit : quia an-
tea plane uacua uidebatur. Neq; putemus tantam homi-
num infelicitatem esse, ut artes inuenerimus, quibus ni-
hil nobis ipsis prodesse possemus. In ijs presertim, quæ
uirtutem concernunt. Vbi uero maior industrie, artifice
uis acquiritur, quàm in his quæ uirtutum uestigia sequun-
tur : id quod sola educatio recta facit, & primas tenet.
Quod non tam Christianis, q̄ Ethnicis proprium fuit, ut,
quæ secundū nature instinctum laudabiliora essent, citius
capefferet. Itaq; singulari prudentia ducti, omnes operas
suas pueris bene instituentis collocabant, neq; quicq̄ anti-

qui^{us} esse ducebant, quàm ipsam pueritiã ita instituere, ut in ea iam maturitas uirilis ætatis appareret. Quare innumerabiles quidem, non solum præteritis temporibus, uerum etiam præsentis sæculo elaborarunt, ut parentes sui officij admonerent. Plurimũ igitur conueniet auscultare sermonibus aliorum, conariq; iuxta scribentes experiri quales nam sint, & qui sint, ac de quibus rebus dicant. Ita fiet, ut ubiq; quasi copię cornu inuenias, quo pacto te, tuosq; instituas. Et quicquid deniq; per omnẽ uitã honeste egeris, id omne pueritiæ bene institutæ adscribitur. Indecorum enim est uirum à recta uia iuuentutis suæ, cum senuerit declinare: et eorum obliuisci, quæ optime in prima pueritiã imbibit. Contra ualde decorũ, suam uitam quotidie in melius instituere, et à malo discedere. Præterea munus ipsum formandi pueritiã, ut multis constat partibus, ita prima, & præcipua est, ut tenellus animus seminaria uirtutum imbibat. Nam ut Deus, quo nihil est melius, minime apparet: ita quod est in homine optimum, mens scilicet bona maxime latet. Et ut æmulatione bonarum rerum plurimum excitatur, sic quoq; malarum usu in deterius uergit. Quoniam ingenium, naturamq; indolem, nec astuta uulpes, neq; præualidi leones mutare quiuerint. Adeo uerum est, quod Horatius dicit, Naturam expellas furca, tamẽ usq; recurrit. At tum demum aliam personam sumimus, cum intercesserit educatio frugifera. Quum et ramiper sæpe alio ducuntur, quã

natura posuerat. Et si graue sit, aliter hominē formare, quā natus est, tamen fieri certum scimus, et experti sumus. Quemadmodū arbor suapte natura nisi unicum fētum gignit, insitione eadem diuersi generis fructibus oneratur: ita qui naturam sequitur, semper idem est, qui arte ducitur sui dissimilis fit. Et prauum quidem ingenium institutione ad bonam frugem demutari potest. Nunc uero, cum de hoc genere informandæ pueritiæ non nihil agere decreueram, hoc argumentum sumpsi, quod patribus negligentioribus timorē incutere posset, & eosdem in uiam reduceret. Nec sunt aliæ historiæ magis uere, quā illæ, quæ in sacris literis traduntur. Et in eo ab alijs differūt, quod habeant certissimū testem, nempe spiritum sanctum. Hanc quoq; elegimus, quod proposito nostro cōueniret. Igitur quæcunq; futura sunt, in hoc Tragoediæ ludo, eius esse generis maxime cupio, ut inde parentes sibi, et liberis consulere discant. Tam enim puer opus habet frequēti, et salutarī admonitione, quā uita. Neq; mediocribus rebus in hoc agendum esse reor, immo optimis assuesci conuenit. Illa inquam ætate, in qua quanta memoriæ uis, quantaque ingenij capacitas sit, omnibus patet. Hinc Aristippus interroganti, inquit, adolescentibus potissimum discenda esse, quæ uiris usui futura essent, optima scilicet. Nec rudis ætas, quæ maxime docilis est superuacaneis est occupanda, sed breuibus, honestis, & bonis. Quod intelligens Crysippus pueris doctas nutrices eligi

uoluit. Qualam enim in pueritia formabis, talem in senectute senties. Non igitur male, immo optime reges Persarum, naturæ tantum instinctu ducti, fecerunt, qui pia quadam disciplina suos liberos educari uoluerint. Nam statim in pueritia quicquid ad pueri curam, educationemq; pertinebat, optimis uiris demandabatur. Vbi uero septimum ætatis annum ingressus puer erat, ad equestris disciplinæ magistros, & ad ipsas uenationes mittebatur. Post decimum quartum annū, singulis disciplinis singuli magistri aderant, qui ipsam iuuentutem omnibus bonis præceptis uirtutibusq; ornabant: primum religione, dein ueritate colenda, postea libidine superanda, demum ne unquā, uel parum pavidus inueniretur, diligenter curabunt. Quam bona educatio in paganis, & regibus barbaris. Digna profecto homine Christiano. Hac igitur ratione, qui liberis bene præesse poterant, in summo habebatur honore: Ita Diogenes in Creta emptoribus uenalis expositus, se liberis imperare nosse profitebatur. Quem Xeniaes quidam Corynthius emit, domumq; duxit. Cuius liberos, insignis, & nobilis philosophiæ præceptor Diogenes, quā foeliciter instituerit, testatur id, quod passim à pueris obseruaretur, perq; illos parentibus commendatior semper erat. Ita Socrates optime natis potissimum adhibendam rectam institutionē dicebat. Idem enim in his usu uenire, quod in equis, in quibus, qui ferociores essent, & indolis generosæ, si statim à primis annis recte instituatur, egre-

gios, & ad omnem usum accommodatiores euasuros. Eoq;
fit, ut felicissima ingenia inscitia, et negligentia instituen-
tium facile corrumpantur: qui mox equos uertant in as-
nos, quod erectis & liberis animis imperare prudenter
nesciant. Est enim spes certa, ut ex pie educatis pueris, ui-
ri optimi euadant. Præcipue tamen cauendū, ne instituto
prepostero ab ijs, quos bene uiuendi exemplo esse conue-
niebat, male uiuere discant. Nam haud raro, filios male
acta, aut dictata parentum, in triuijs balbutire audias. Et
ita sibi peccandi occasionem facile sumunt maiorē. Igitur
admonendi parentes sunt, ne quid testibus liberis peccent:
cuius rei exemplū est Clitipho ille Terentianus, qui patri
ebrietatis uitium obijcit. Neq; tam ad artium studia quā
ad emulationem uirtutis præparandi sunt liberi. Nihil
etiam quicquā expectandum, donec adoleuerint. Nisi
enim ab infantia quis educetur laudabiliter agere, haud
facile grandis iam natu assequetur quibus uirū integrū,
et ueræ uirtutis cultorem præditū esse uirtutibus par est.
Etenim neglectum in pueris difficile sarcies in adultis.
Quam uero feliciter Lycurgus Lacedæmoniorū legum-
lator rectæ educationis exemplum suis ciuibus dedit, effo-
ctus probauit: quod eos ab instituto prauo reuocauerit.
Qui quum duos, eodem patre, eademq; matre progenitos
catulos educasset, unum scilicet passus domi lautioribus
cibi pasci, alterū autem uenationibus exercuit. Hos cum
aliquando in concionem produxisset, et uterq; ad assueta

raperetur, alter ad ollas, alter ad leporem. An nõ uidetis
(inquit) duos catulos eiusdem cum sint generis, tamẽ ob
diuersam educationẽ admodũ dissimiles inter sese euasisse.
Hac igitur festiua demonstratiõẽ sibi suos restituit ciues.
Reperit ingeniosus uir uiam, qua uulgo uirtutis, & edu-
cationis imaginẽ ob oculos poneret. Magis enim mouent
ac penetrant, quæ oculis cernuntur, quàm quæ tantũ au-
diuntur. Sit ergo prima cura parentibus, ut liberi statim
à primis cunabulis, optimis, et ijs sedulo assuescant. Sub-
lata enim assiduitate, facile ad pristinos, et naturales mo-
res recurrunt. Nam difficile dediscuntur, quæ nobis natu-
ra penitus indidit, atq; inseuit. Præuenire igitur admoni-
tione conueniet. Quoniam adulti iam, ut senex Psitacus,
ferulam non paciuntur. Id quod eleganti metaphora te-
statur Ouidius.

Quæ præbet latas arbor spaciantibus umbras,

Quo posita est primum tempore uirga fuit.

Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,

Nunc stat in immensum, uiribus aucta suis.

Quare tunc formandi mores, cū mollis adhuc ætas: tunc
optimis assuescendũ, cū ad quiduis cereum est ingenium.
Neq; hæc dicta esse uelim, ut adultos iam à discendo deter-
rerem, cum nulla sit ætas ad discendum seræ: sed ut paren-
tes ad bene instituendũ liberos acuam. Quoniam pueritia
magis capax, & citius eo, quo bene ducitur, peruenit: et
tanto magis, quanto animus elucescit nobilior: neq; unq̃

foelicius q̄ circa prima uitæ initia. Et quia per se bonū sit
bene educari, profecto oībus cōuenit, oībus prodest, oībus
deniq; iocundū erit statim, et adhuc in cunis ipsis ea sape,
quæ in senectute accidere possunt. Honestæ deniq; res est
& præ cunctis laudabilis, educatio recta: reddens homi-
nes integros uitæ, scelerisq; puros. Impossibile enim est ut
is qui à pueritia bene, & pudice educatus fuerit, aggra-
uescente etate malus futurus sit. Quis uero non dixerit
illum esse perniciosum hominē, qui nunquā quid sit bene
educare intellexerit. Quod adeo negligunt omnes, ut per
pauci quo pacto ipsi educati sint, curent, sed potius qui-
bus parentibus, q̄ potentibus, diuitibusq;. Quod unum es-
fugiens Horatius, se natum gloriatur. Non patre præcla-
ro sed uita, & pectore puro. Deniq; addit, ipse mihi cu-
stos incorruptissimus, omnes circū doctores aderat. Laus
illi debetur, & à me gratia maior. Foelix profecto ob hoc
unum, quod paternæ memor educationis, patrem custo-
dem incorruptissimū nominat. Hoc est uere patrem esse,
uiuendi exempla bona liberis exhibere. Et si nihil aliud
sit hoc maximū esse puto, quod post nos relinquamus in
quo lumen aliquod uirtutis, & probitatis perspicere ui-
deamur. Multa sunt præclara educationis exempla in ue-
teri testamento, quorum admonitione patres discere de-
berent. Negligentiam filiorum suorum acriter arguebat
Iacob. Præcepit dominus per Moysen ut filij Israël doce-
rent filios suos, ea quæ ipsi uiderant. Quo pacto David

iam moriens instruxerit Salomonē, qui post eum regnare deberet, testatur sacra scriptura. Tobias filium suum ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato præmonuit. Magnam sollicitudinem gerebat Iob ille de liberis suis, qui cum simul comedissent, offerebat holocausta per singulos dies ne forte peccassent. Cum appropinquaret Matathias ad mortem, nonne filios salubriter instruxit, & contra impios animauit? Quid porro mater filiorum septem, cum singulos hortabatur, addidit, nescio qualiter in utero meo apparuistis. Quis uero dubitabit, quin huiusmodi hominum piorum educatio ad bonam frugem peruenerit? Porro quod grauiter punit deus patres non erudientes liberos suos Prouerbiorum liber multis in locis, aperte testatur. Nonne grauissime punitus est Helic? Quid uero Christus inquit, bonum esse offendenti pusillum, ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum. Verum quo modo grauius offendet puerum, quam si mali exemplum dederis, aut cum neglexeris. Neque frustra tam diligenter admonuit D. Paulus, cum inquit, patres ne prouocetis ad iram liberos uestrorum, sed educetis eos per eruditionem, & correptionem Domini. Item cum dicit, Diaconi unius uxoris mariti sint, qui liberis recte præsent, & proprijs familijs. O utinam melius intelligerent hæc parentes, qui nimium negligentia ubique suos corrumpunt liberos, conuiuunt, indulgēt, dant sumptus, sibique in illis placent, nec quicquam molestum est,

quod modo filius agit. Ita sibi peccandi licentiam sumpsit
filius fur, qui matri nasum morsu detruncabat. Indignus
quippe uenerando patris nomine, qui non patrem uere
agere nouit, sed potius seductorem. O osor uirtutis qui ne-
gligentia sua spem patriæ perdit, & in filio iuuentutem
corrumpi sinit, per quem uniuerso generi suo, immortale
nomē acquirere posset. Itaq; eò magis odisse debemus eos,
quorum uita p̄sme filiorū educationi respondeat. Quia
cum id olim filij uiderint, maxime scrutiabuntur, &
quod parentes debita gloria defraudantur, & illi horum
dementia, perierint. Horrendum peruersæ educationis
exemplum uidit D. Augustinus. Ita enim scribit. Cum ne-
cesse sit, ut uos quā diu uiuitis, timeatis, ideo quæ hodie
facta sunt, iterum dicere erubescō. Ecce enim Cirillus ue-
ster, filium habebat, quem ut nostis corrigere negligebat,
qui postquā luxuriose uiuendo paternam hereditatem
consumpsisset, ebrius matrem pregnantem nequiter op-
pressit, sororem uiolare uoluit, patrem occidit, & duas
sorores uulnerauit ad mortem. O magna diaboli domina-
tio, patrē, quē post deum reuereri debuerat, occidit, ma-
trem oppressit, sorores uiolare uolens uulnerauit. Sic pa-
ter negligentie p̄enam dedit, et mortuus detestanda sce-
lera filij uidit. Sic iusti Dei opera nunquā fallunt, corri-
git quando uult, flagello duro, & modo uario. Conuer-
tantur igitur & discant melius agere cæci parentes, ne
super nos ira Dei aliquando ueniat: cum serum erit reuo-

care gradus. Attamē illud præterire nolui, sæpe ex optimis parentibus, pessimos liberos nasci. Rursum ex malis bonos uiros fieri. Hæc omnia, Ornatissime uir, tibi iam dudum notissima sunt, neq; adeo scripsi, ut te admonerē, quid facere conueniret, cum antea aliorum liberos singulari affectu, & pietatis nomine foueas, alas, & proprijs sumptibus sustentas, eòq; nomine perpetuo felix, qui pauperum nunquàm non memor uiuis, iisdemq; succurris, et quotidie subuenis. Hac igitur occasione moti, tibi, hoc quicquid est nostræ opellæ, dedicamus. Accipe itaq; munus hoc leuidense, & boni consule, Deniq; ut ei hospitali iure Deus tutelaris sis, plurimum & enixe precor. Vale uir Ornatissime, & me tibi commendatum habe. Datum Augustæ Vindelicorum. Anno M. D. XLIII. III. Idus Augusti.

T. Detitiß.

Scruior

Hieronymus Ziegler
ad D. Annam Augustæ
Ludimagister.

IN EDUCATIONEM
LIBERORVM CARMEN VALEN-
tini Butzlij Vangiani.

Nescio quæ rabies agitet furiosa parentes,
Vt prolis placidi pessima facta probet.
Omnia quæ faciat, tentetq; tenerrima proles:
Taxillos credunt, magnaq; facta Iouis.
Plurima concedunt, nec concedenda iuuentæ.
Et parcunt pueris uerbera digna malis.
Neq; animo dicunt prolem coluisse parentes
Syncero, si quis uerbera magna ferat.
Expectant annos, his ut prudentia crescat.
Nam prudens, sapiens, tempora multa petet.
Educunt gnatos, at hos nutritisse pigebit:
Cum uitijs iuuenes disperijisse uident.
Flectitur ut mollis, sic mollis cæra liquecit,
Aetas ad fructus iam uitiosa bonos.
Ergo si qua forent tanto præcordia amore
Accensa in prole, & mersa fauore patrum,
Huc ueniant, sacris discant præcepta libellis,
Queis forment pueros edoceantq; suos.
Discent hic iuuenes patrum dictisq; parere,
Obsequio, & dulces excoluisse patres.

PROLOGVS.

Tractare res sacras nulli uitio dari
 Existimo, facie aliqua fabulae noua,
 Quod ante nos boni permulti fecerint.
 Quare licere nobis id putauimus,
 Illoq; iure uti, quo usi sunt caeteri.
 Hanc igitur historiam forma Tragœdiæ
 Emittimus. Tamen respondendum arbitror
 His qui frequenter uoce turpi clamitant:
 Contaminari non decere res sacras.
 Faciunt ne intelligendo ut nihil intelligant,
 Quam primū ego meum huc animū ad scribendū appuli,
 Id mihi negocij credebam nunc dari,
 Ne quid religioni aut aduersum dicerem,
 Aut ore maledico pios ut lederem.
 Verum quod alijs Plautus, aut Terentius
 Placet, nihil moror, latinum est elegans
 Concedo, nec facile fit aliud purius.
 Sed Christianum magis semper duxi fore
 Ex litteris sacris, mores discere sacros:
 Quod spiritum sanctum testem certissimum
 Habeant. Et in profanis turpe luditur
 Plerunq; sed in his ueritas summi Dei
 Ostenditurq; sanctitatis symbolum.
 Date operam, adeste æquo animo per silentium,
 Boni pijq; spectatores noscite
 Rem ipsam. sed interim, hæc consule lector boni.

PERSONÆ.

Heli summus sacerdos	Theander
Ophni	Deus
Phinees	Samuel
Eleasar	Biniamites nuncius
Iacob	Nurus ipsius Heli
Puer	Obstetrix.
Ioachim.	

ARGVMENTVM.

DVos cum haberet filios Heli senex,
Eos sacerdotes magnos fecit Dei.
Qui compotes uoti, uiuunt prauissime:
Licentia patris luxurie student
Omni, sacra officia frequentes negligunt.
Quos dum pater mansuetior nil corrigit,
Summi grauem Dei incurrit sententiam.
In prælium pergunt contra Philistijm,
Domi manente patre, filij duo.
Vbi, cum malo pugnaretur fato, occidunt,
Et arca fœderis capitur ab hostibus,
Hoc audiens senex, de sella protinus
Retro cadit, ceruicem frangit, turpiter
Vno die moritur pater cum filijs.
Quam sibi tulerunt pœnam negligentis.

CHORVS.

NE INVOLVAMVR CECITATI
 impiorum, & in æternum percamus.
 Ex Psalmo XIII.

CVr nostri Deus oblitus es omnium,
 Auertisq; oculos? Respice denuo
 Fac ut uel uideam, uel ferar ante te.
 Urgent me dolor, hinc hostis, & impius,
 Qui nec consilijs esse sinant locum.
 Quanto uexat iners, tempore cor labor,
 Hostis quamue diu me miserum tenet.
 Festina, auxilium fer deus optime,
 Accendas niuei lumina pectoris.
 Da sublimem animum, quo malus occidat,
 Applaudatue nihil hostis atrox sibi.
 Nec dicat super hunc pr. eualui uirum,
 Cristas atra dies imminuat suas.
 In te semper erit, spes mihi libera,
 Cor gestitq; meum cum domino Deo.
 Hinc cantabo tuas, concelebraboq;
 Laudes, perpetuis dulcibus his sonis.
 Viuo namq; tibiq;, & morior tibi.
 Quod spiro, & placeo, si placeo tuum est.

ACTVS PRIMVS.

SCENA I.

HELI. OPHNI. PHINEES.

HELI **A**vdite filij perchara pignora,
Mæ senectutisq; baculum dulcius,
Rerumq; successores, atq; nominis:
Quos ego Dei solius habeo munere.
Vtinam diu super sitis mihi,
Ego senex decrepitus sum, tremulus nimis,
Nec ullus animi, corporisq; mihi uigor,
Imago uisum dubia iam fallit meum.
Nec non paludi Stigiæ morte proximus,
Mortalis æui cardinem extremum premens.
Nil uiribus ualens, nil officijs Dei
Ex usu, & ipsius pondus inutile soli.
Ergo mihi succedetis: nunc tramite
Iusto patris sequimini uestigia pij,
Seruate sacram patris exemplo fidem.
Fungi meo nunc officio, uos postea
Et sancta sanctorum ingredi solos decet.
Letamini, gaudete gnati, plurima
Vestra est salus: uestrum firmate spiritum.
Dominus ad hoc elegit uos duos Deus.
Eligere Dominus nescit mala bona deamat.
Quis tam sinister qui improbet factum Dei.

B

ACTVS

Soli super cœlorum aras Dei sacras
 Sacrificium offeretis, incensum quoq;
 Et ipsum Ephod uestimentum portabitis
 Magni sacerdotis, coram Domino Deo
 Nostro, diebus uitæ uestris omnibus:

Omnia tamen facite Dei ter maximi
 Ad gloriam, cuius ministri fueritis.
 Cognoscite Dei iudicio quemq; sui
 Sceleris nocentem debitas pœnas dare.
 Hic iste ueri rector, atq; æui arbiter.

Qui cuncta nutu dirigit, regit, tenet,
 Conseruat, & alit multiplici fructu suos.
 Est ipse Dominus cuius aspectum timet
 Peccator omnis, iniustus, cumq; improbo.
 Ego quia nimis uos amo affectu patris,
 Mores tuli uestros mea licentia

Quicquid placuit unquam facere, copia fuit
 Sumptus dedi, indulgentes ut patres decet.
 Amoris in uos maximum regnum sero,
 Amoris impaciens uos usq; prosequar,

OPH. Cognouimus pater animum mitem tuum.

Tua adeo nunc opera uiuemus suauiter,
 Qui omnia tibi esse post putaris maxime
 Præ cōmodo nostro: famam, peccataq;
 Maledicta, amorem, & si quid aliud maius est
 Id transtulisti in te, nihil supra pote.
 O quid pater ego te laudem? quid amplius

P R I M V S

Dicam? superet id quin uirtus maxima tua.

Ita nos habere præter alios arbitror

Hanc rem, patrem primarum principem artium

Hic neminem magis. Quare pater diu

Viuas tuis: nam nos nemo alius respicit.

PHI. Et nunc pater quod officium spectat sacrum,

Non est quod ipse sollicitus multum sics,

Neq; dubites, tradita nobis prouincia est,

Spartam sumus nacti munere Dei, & tuo,

Hanc diligenter exornabimus quidem:

Artus perennis dum regit per corpora

Spiritus, & imo pectoris sedet sinu

Mens sana. Nam tibi patri succedere

Nobis datur laudi, ac honori uertitur

Tibi, filios tales tali natos patre.

HELI Recte facitis o filij, pergite modo

Esse ut cupio, & ut iam coepistis antea.

Nullus labor durus, nullum tempus graue

Debet uideri, quo beatitudinis

Acquiritur posthæc perennis gloria.

Ite hinc ad officia, nam tempus postulat,

Ne quid uidete desit, nam culpa est grauis,

Summo minus quo fiat sacrificium Deo.

Abite uos, ego mox intro consequar.

S C E N A II.

ELEASAR.

ACTVS

O Qui Deus summam omnium rerū tenes,
 Sedes uolubilis cœli cui machina:
 Terrāq; pedum scabellum speciosa est tuūm.
 Et qui profundi imperium habes maris magni,
 Qui diuidis Titan orbi clarum cauo
 Considera mortalium res, actaq;
 Perpende iustior, nutu dirige tuo,
 Tibi summe habenas genitor, & flagrantibus
 Loris tribue moderari pectora hæc fera
 Mortalium, ne nos in infernum trahant
 Scœlera grauiā hominū, est quos omnis res penes.
 Defende populum: sæuit infelix amor
 Numi, superbiæ, fastus, luxuriæ,
 Fraudisq;, proximi inuidia gliscens malum.
 Quodcunq; nunq̄ pontus, aut tulit nefas,
 Aut neq; uidebit Isthmos effera horrida:
 Tremenda cœlo pariter, ac terris mala.
 Hæc nunc ferunt fluidi huius mundi secula
 Furore uiolento, ius est quod cui placet.
 Non est amor tui Deus, gloria ualet.
 Impia regit passim manus, nihil pudet
 Quemquam, uoluptas falsa cupientes subito
 O placida quam diu nimis sunt numina,
 O quis futurus est finis mortalium?
 Sed tu Deus festina, libera metu,
 Et subueni tandem tuo erranti gregi.
 Fidum crea pastorem, consilia adiuua,

PRIMVS

Et mitte nobis munus ætheriæ domus,
 Decusq; regni, spiritum sanctum tuum.
 Ecce hic Heli tuus sacerdos maximus
 Tremulus senex, pedibus, manibus et corpore,
 Iam qui Israël quadraginta iudex regit
 Annos, satis nunc functus officio suo,
 In cuius o Deus locum tibi elige,
 Qui nos uoluntatem iuste edoceat tuam.
 Et qui rite opimas ante aras uictimas
 Mactetq; thuris aras extruat tibi.
 In te Domine speramus solum, tu dabis
 Sperantibus sacrum auxilium de alto Syon.
 Nunc flecte mentem nostram, pectus aduoca
 Antiquum: in unum te nostraq; opera erige.
 Nam iusta sunt tua que facis per omnia:
 Extingue fortiter nomen peccantium
 In te, tuoq; nomini da gloriam.
 Sed quid adeo tristem uicinum conspico?
 Et murmurantem ire obuiam solum mihi.
 Huc paululum concedam, ut quid uelit sciam
 Oratio hæc: non frustra est, timeo quid fiet.

SCENA III.

IACOB. ELEASAR.

IAC. **H**eu quo misera deduxit nos calamitas
 Hoc seculo, omniumq; perditissimo.
 Ita res hominibus commisisse perditis

ACTVS

Nostras, quibus sacrum est, nisi sit utile, nihil.
 Quæ hæc cæcitas nostra est? quæ diræ nos agunt?
 Animum feralis aut quæ Erinnis occupat,
 Furiosa regit & uexat semper stimulans?
 Quo usq; genus humanum illudi patitur sibi.
 Heu me parum felicem, qui huc uertice niue
 Albo magis peruenerim, uitæ tedet,
 Actum est quidem de re præsentî publica.
 Hinc uultur, illinc luctifer bubo gemit,
 Omenq; triste resonant infaustæ Strygis:
 Nunc mihi sinistra prædicit de quercu auis,
 Et alta cælo tacta signant culmina:
 Et arborum horrent fronde nigrantes comæ.
 Quid sit futurum: nam mihi timeo male.

ELE. Hoc quid fiet nescio, subueniendum arbitror.
 Et nunc per opus est, cû ipso, de his aliquid loqui.
 Heus heus mane, expecta Iacob, sistas gradum,
 Quid tecum? ais? cur clamas? quis frendens dolor,
 Quæ cura, uel metus sollicitat, dic mihi,
 Te, dic sumus soli, uicinus ego tuus.

IAC. Rogas? miser sollicitus ex hoc sum dic,
 In hunc enim ministri sunt facti Dei
 Heli senis peruersi filij, malæ
 Vitæ, superbi, auari, mendaces, pigri
 Ventres, honesti osiores, & pleni mero
 Noctes, diesq; amatoresq; turpium
 Mulierum; & ut ludos taceam fœdissimos.

P R I M V S

Igitur boni nil sperandum his regentibus.
 Rerumq; morsus finis, & mundi ultima
 Sunt tempora hæc. ELE. Et uera prædicat
 Hem istos ne dicis, quibus haud dissolucius
 Vllus quidem uixit, luxu omni perditos?

IAC. Ipsos eos, quorum uitam probissime
 Nosti: loco peiore res non esse quit.

ELE. Quis igitur illos iussit, aut quis author est?

IAC. Nescio, nisi malus genius nobis male
 Voluerit, hoc qui hominū induxit prauum genus.

ELE. Quid? olim erat apud priscum seclūm clericis
 Mos alius, etiam consuetudo sanctior
 Quam nunc: quibus cordi uerbum Dei fuit.
 Cuius loco uentosa nunc superbia
 Regnat: popellum qua miserum oēm supprimunt.

IAC. Rem ipsam tenes. Nunquam tamen supprimitur
 Verbum Dei, summiq; patris ueritas.
 Sed, quod tu ibi speres, profecto nihil erit.

Quos nouimus paruos his uitæ moribus
 Viuere: patris nec unquam uerbis corrigi

Audiuimus. ELE. Neq; à uia puer sua
 Recedet ubi senuerit, quia sibi placet.

IAC. Patri tamen dolor stultus fit filius.

ELE. Et quis bonus, nisi puer iam ceperit
 Esse bonus, aut quem flagellum domat patris.

IAC. Cui filij sunt illos curuet paruulos.
 Gloria patris probo de filio uenit.

ACTVS

- ELE.** Et neq; pater per stultum delectabitur.
- IAC.** Boni parentes generant liberos bonos.
 Nam qualis est urbis rector, tales erunt
 Qui possident eam, imitatores mali.
 Rex stultus omnes perdit subditos cito.
 Ve ue parentibus qui conuiuent suis.
- ELE.** Sero nimis peruersos corrigi uides,
 Et difficile quidem: exemplo sunt mihi duo
 Hij filij, quorum delirat & pater
 Heli senex, quem commonentem negligunt,
 Nec audiunt, rident delirantem senem.
 Gaudent iugo à ceruice iam excusso suo.
- IAC.** Et crede refert multum, quo puerum modo
 Iam paruulum educas annis melioribus.
- ELE.** Et quando peruentum nobis adeo est eò
 Edissere breuiter quid sentias in hoc:
 Aut qua putes educandos potissimum
 Ratione pueros à primis anniculis.
- IAC.** Etsi mihi longum, iubente te tamen
 Faciam, breui compendio, quantum potest.
 Paterni ubi animi iacta iam sunt semina
 Instatq; partus, non locus, tempus, dies,
 Vel astra sunt curanda tibi fatalia:
 Neceſſitant nunquàm, sed inclinant frequens.
 Dein proxima est cura, ut pater natos regat
 Ut esse genitos nemo non ex se sciat.
 Porro (quod aiunt) mox ab incunabulis

PRIMVS

Est pectus informandum rude pueri optimis
 Quæ post suo suppullulant in tempore.
 Nam quod semel erit imbutum diu manet,
 Et longum odorem seruat testa tibi recens
 Præceptor insuper gnato quærendus est
 Doctus, pius, non corruptus, sed integer,
 Longo grauis rerum usu, cui sinceritas
 Vitæ faciat authoritatis non parum.
 Nam clauus in naui nunquam committitur,
 Qui genere claro præstat, aut natalibus,
 Sed qui fide, et gubernandi scientia
 Superat: ita & iuuenilis mens, est protinus
 Tradenda qui uirtutum uincit dotibus.
 Nam sæpius qui curent eligis canes,
 Aucem, aut equum: nihil referre deputans
 Cui filium formandum primo mitteres.
 Cum pleraq; ingenia uergant mortalium
 Prona in malum, nec tam felix ullum fuit
 Quod non mala educatione perierit.
 Nam si puer apud nutritur stultissimos
 Scurras, bibones, aleatores malos,
 Inter uoluptatum architectos optimos:
 Quid aliud hic discit, uel audit rogo? nisi
 Meras uoluptates, luxum, et nugas: quibus
 Plenus, scholæ eius fit gnarus discipulus
 Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi,
 Neq; commouetur animus in ea re tamen

PRIMVS

Scias posse habere iam ipsum uitæ suæ modum
 Et scito magnum exemplum continentia.
 Deniq; satis non est reuocare à turpibus
 Animos rudes puerorum, immo quod ad bona
 Inuitet inculcandum menti sedulo.
 Omnem insuper mouendū lapidem esse arbitror,
 Ne se sodalicio iungat prauo puer:
 Quoniam uoluntas, & iuuentus uana sunt.

ELE. O dii boni quàm regia educatio.

IAC. Sed heus, mane, quod est potissimum uide,
 Ante omnia, ac primum infigendum penitus
 Pueri est, ne male de uero sentiat Deo,
 Sed eius omnia legat dogmata diligens,
 Et hæc in intimos cordis fundat sinus.
 Quo nil sibi ducat præstantius fore,
 Quàm si sacras eius leges ita combibat
 Ut siue dormiat, siue uigilet, nihil
 Quàm uerba cogitet pijsimus Dei.
 Quod si fit, haud dubium quin uir probissimus
 Euadat, et quod ætas posthac postulat
 Virilis, id locus, res, tempus commode
 Illum docebit, lege non constringitur.

ELE. Credo. sed ipse quid de filijs Heli
 Sentis? pater quos nunquam uere corrigit.

IAC. Et corrigit quidem: alio tamen modo
 Quàm se decet: nam non uera est correctio
 Sca mala magis, lenis, licens, remissaq;

P R I M V S

Nunquam grauis, nihil serua, semper leuis.

Ita negligentia corrupti primitus:

Neq; quod bonū, neq; quod prauū est dijudicant.

ELE. Rogandus est igitur Deus, quo gratia

Sua benignus adsit, iustus protegat.

Rempubicā. IAC. nam ex his est sperandū nihil.

Quorum scelus nullum non est tyrannicum,

Non desinit, sed crescit noctes, & dies:

Dentes eorum similes sunt leonibus,

Pauca animus, artus horridus quassat tremor,

Quum subit in animum tanti sceleris memoria,

Maius scelus eorum, quā nunc capiat fidem.

ELE. Ipsi uidebunt: atqui accipiet præmium

Eductionis aliquando dignum pater.

IAC. Negocij mihi paululum restat domi

Igitur eo, ne quid me expectent longius.

Vale diu. ELE. Et tu ualeas rursus optime.

EX PSALMO VIII.

Chorus primus.

Qui regis terras, superumq; coelum,
Quam est tuum nomen super uniuerso
Orbe mirandum, merito eleuatum.

Aethera supra.

Ore de infantum tua laus profecta,
Conteras hostem manibus potenter

ACTVS

Nota sit uirtus domini, potestas,
Et decus omne.

Ipse si caelos oculis uidebo,
Solis et lumen, rutilasq; stellas,
Hoc opus mecum, manuum tuarum,
Miror in æuum.

Si facis iustus fabricator illa,
Cur memor nostri? quid homo? quid ætas?
Quid tibi curæ sinis esse multum
Infima rerum?

Qualis est mortalis homo, quòd inter
Res tibi charas statuisti, et ipsum
Inde sublimi decoras corona,
Sospite cursu.

Insper mundi dominum creasti,
Cuncta quæ uellet sibi subiugando,
Cum boue, & capris pecus omne campi
Nomine frenat.

Et maris pisces, uolucresq; coeli, &
Quicquid in curuo uiget orbe uiuum,
Nec domat solus, dominusq; rerum
Factus in æuum.

Qui regis terras, superumq; cælum
Quàm est tuum nomen super uniuerso
Orbe mirandum, merito eleuatum
Aethera supra.

ACTVS SECVNDVS.

SCENA I.

OPHNI. PHINEES. PVER.

OPH. **Q**uam bene patris consilio eueniunt omnia
Frater, nihil enim nobis unquam defuit
Optantibus, uoluptatis fit plurimum.
Benignus est pater, beneuolus nos amat:
Ne nos parentis pigeat consili, uide.
Cuius potestas dudum uires suppetat:
Authoritatis multum geminabit scio.
Si confugimus ad hunc, placatos hic sinus
Expandit affectu patris, nec desinit
Amare nos: talem ad cœlum ferat patrem
Laudibus, & hunc nobis Deus uetat mori.

PHI. Recte profecto dicis, etiam gratulor
Vtrisque, ob eius in nos beneuolentiam.
Verum necesse erit principio, ut dicitur,
Rem perfricata fronte audacter aggredi,
Ne nostra nobis obstet pigra tarditas.
Et plus laboris incumbat, quam commodi.
Quare puer subornandus nobis erit,
Qui nostra nutu iussa capebat protinus,
Et quid sibi faciendum fiet intelligat.
Heus age puer quid opus sit facto denota:
Sin negligis quicquam, tergo poenas dabis.
Virgis nouis cœsus pensabis turpiter.

A C T V S

PVE. Quid est, mea ars quod uobis efficere potest.

PHI. Tua fide sola nobis in hac re opus

Erit, labore nullo, tantum industria.

Me erga uide, porro quid cupiam intelligas.

Ad uictimas quam primum coctas ueneris,

Manu tridentem fuscinulam mittito tuam,

In testam, & ollas, hinc quod optimum est leua,

Et tolle tecum deferens, huc in domum

Nostram, mihi fratriq; in coenam splendidam.

Sed si quis prohibet, ui quicquid lubet rape,

Nil interim uoces cura praesentium.

Haec nostra sunt, haec fieri mandamus tibi.

Nunc aduoca astus, nunc fraudes, omnes dolos

Huc tende, nil timeas, hic ingenio est opus.

Fidem alliga mihi iureiurando tuam:

Si peieras timere quid grauius potes.

PVE. Non est opus monitore, scio quid debeam

Vobis meo seruitio, nullos hic metus

Animosa mens admittit: audit cum uidet

Gratum esse uobis contra fas, contra nefas

Spoliare, rapere ui, de uictimis Dei:

Quod optimum fuerit carpam, caetera alijs

Are ministris relinquam nolentibus.

Dummodo placet, rationeq; stat sententia.

Et haec fide qua possum curabo optima,

Quo nil uoluntati uestri desit modo,

Eo. **OPHNI.** Ita facito ne cures quemq; credito,

S E C V N D V S

*Nostra est potestas hic faciendi quidlibet.
Et quando bene successit hunc hilarem diem
Summemus unà curantes probe cutem.
Eccum patrem uideo, quo se nunc proripit.*

PHI. *Huc obuiam nobis uenit, maneamus hic:
Ut colloquamur, & salutemus semel.*

S C E N A II.

HELI. PHINEES. OPHNI:

HELI **H**em uos eratis hic, dilecti filij, *(uus fies.*
Quid fit? quid agitur. PHI. *Bene, si tu sala*

OPH. *Hem mi pater nunquid tibi, ut dicis, placet
Quod agimus in tuo conspectu, & omnium,*

HELI *Bene est quod agitis filij, pergite rogo
Esse mihi honori, uobis laudi maxima.
Facite quod ego præmonui, & docui sedulo.
Sacrificijs adeste diligentia*

*Vestra: Deo seruite per omne seculum.
Peccata fugite quasi de ipsis serpentibus.
Et cogitate uos non pueros, sed uiros
Esse: hæc dies alios mores expostulat.*

*Nam quicquid ante fecistis nil me attinet,
Dum tempus ad eam rem tulit, siui lubens
Ut quisq; moribus animum expleret suis.*

PHI. *Ergo pater te plus quam oculos amo meos.
Tu gaudium, tu spes uitæ nostræ unica.*

OPH. *Domum ibimus si nil uis amplius pater.*

ACTVS

HELI Nihil, nisi mentem uobis dari optimam.

Age age probe experior quid ego nunc possem
 Agere benigne, & blande dicere: quia cō
 Hæc prouocat dies: ego quoq; à meis
 Me cupio amari, & magni pendi postulo.
 Si id obsequendo, et dando fit, nunquam feram
 Partes quidem posteriores. Blandus uocor,
 Benignus, & lenis pater. Tum me colunt
 Et prædicant, et usq; in cælum subuehunt.
 Ibo intro, nam me expectant iam dudum scio.

SCENA III.

PVER.

Probe edepol curasti commissum tibi
 Lauteq; munus administraſti tuum,
 Abi uirum, & seruum frugi te iudico.
 Postquam uidebam quod cruor largus pius
 Inundat aras, sacratis de uictimis,
 Nihil loci segnicie, neq; socordie
 Vidi dari, quin hac tridente protinus,
 Partem meam extraxi, non hercle pessimam.
 Quam nunc domum mecum dominis feram incis,
 Ius postulant suum. Quid id refert mea
 Cum murmurat populus, aut querulus fremit.
 Illis modo morem geram, mihi erit satis.
 Nam nunc meo damno ferè inueni uiam,
 Ne mihi fames molesta sit, res pessima.

Domini

S E C V N D V S.

Domini mei libenter laute uictitant,
 Nec unde sit curant, adsit modo, sat est.
 Idem ego facio lubens, paro conuiuium
 De ipso die in diem, genio indulgens meo.
 Et si scio me contra ius facere, tamen
 Facio coactus: Imperavi quoq; mihi
 Nunc omnia adsentari, quod est uberrimus
 Questus apud hoc genus hominum deperditum.
 Verum quid ego de dominorum uita loquar
 Plurima, uel illorum mores describerem?
 In omnium ore est, quo modo uiuant, colunt
 Ventrem, Dei res negligunt planissime:
 Curios foris simulant, Bacchanalia domi
 Viuunt: magis promos quam condos dices.
 Attamen ubi uentum est in publicum semel,
 Nihil putares sanctius, nec castius
 Illis, ita didicerunt populo imponere.
 Sed cur ego anxius isthæc mecum deputo:
 Ibo domum, ac me ibi curabo molliter.
 Et hunc diem cyathos sorbillans conteram.
 Hæc in cœnam coquenda dominis sunt cito,
 Igni fouendus est focus largissimo.

S C E N A III.

OPHNI. PHINEES. PVER.

OPH. **O**Mnia uide coquantur hæc probissime
 Nobis in hanc cœnam. Piscem sed interim
 Istum lupum prius pura finito in aqua

ACTVS

Ludere parum, si uenero exossabitur.

PHI. Quid uult sibi pater suis cum moribus,
 Qui nos (quasi necessum fiet) usq; admonet
 Vitæ piæ, officij, conditionis sacræ:
 Et hoc quidem dum uiuet ad aurem obganniet.
 Sera est nimisq; & frustra castigatio,
 Quæ post pubertatis teneræ fit tempora.
 Si is illius animi fuit, cur distulit
 In hos dies: nam uerba parietibus facit,
 Et mortuis loquitur. delirus est senex.
 Nunc singulari studio noctes, & dies
 Gaudentium interturbat nostra gaudia.

OPH. Facit ut senes omnes solent, stulti nimis.
 Qui nos putant statim à pueris nasci senes:
 Errant mea quidem longe sententia.
 Satis mihi fuerit senectæ incommoda
 Sensisse, sub Charontis cymba pallidi:
 Post aliquot annos sapere sufficit mihi.
 Iuuenes sumus, & ætas in prospero statu est,
 Viresq; florent, sorte felici uigent.
 Si fata cogunt, ante tamen ueniunt diem:
 Nam si quis ultro se malis offert uolens,
 Hic omnia bona perdere est dignissimus:
 Quia nescit uti. Ergo annorum uiuam memor:
 Mentem relaxabo, dum per tempus datur.
 Curas mihi Bacchus pellat dulcis graues:
 Qui bene potest, letitiæ maximus dator.

S E C V N D V S

Actatē mobili fruar, nam labitur
 Cito pede, nec expectat reges inclytos.
 Corruptit omnem mundi machinam uagi,
 Nihilq; stabili gressu permanet suo.
 Satis mihi est cana sapientia frui.
 Nunc facile pectus est, mens nullis obruta
 Curis, seniles nondum sentio gradus.
 Hos optimos uitæ dies perdere sinam
 Tristi mea uita? nunquā faciam quidem.
 Nam ut sæpe dicitur, decet tristis senem
 Frons, letitia iuuenem, & fouet rectam indolem.

Quid me coercerem rerum molestia?

Quid porro patri auscultarem exanguis seni?

PHI. Sine ut hæc dies ueniat, quo moriatur pater,
 Tum liberior erit potestas omnium.

OPH. Utinam quidem, quod cum salute eius tamen
 Fiat, ut ita modo decumbat lecto suo,
 Ut surgere triduo hoc prorsus nunquā queat.

PHI. Ita fiat, & si quid possit nunc rectius.
 Namq; hos dies, ut cœpimus, cupio nimis
 In gaudio perpetuos dulci degere.

Quando senuerimus, tunc pœnitebimus.

OPH. Sine euenire quod uolo, uidebimus
 Quid alter alteri inferuire possiet.
 Nunc est domum nobis eundum, tempus est
 Cœnæ, ne corrumpatur illa cautio est.
 Sum nactus ex sententia pisces, uide

ACTVS

Vini optimi copia. PHIN. Bene est eamus hinc
 PVE. At at mihi sunt uerba data, nam quod bibi
 Vinum pedes uicit, luctator pessimus.
 Et lingua faucibus pendet. Quid ominis?
 Et me bibere plus uini memini sæpius,
 Tamen uidebar semper pulchre sobrius.
 Hoc nisi sit, ego quod suspicor, aliud genus
 Vini fuit: nam uix sex cyathos ebibi.
 Dominos uideo meos, dissimulandum est mihi.
 Domini, domi uos expectat sodalium
 Cohors, & ipsa cœna iam corrumpitur.
 Parata sunt omnia, properandũ est. OP. Ibimus.

SCENA V.

IOACHIM.

Qvanto magis, magisq; mecum cogito,
 Heli profecto filij magnum malum
 Dabunt religioniq; & uitæ publicæ.
 Quemadmodũ partim stans hinc procul, auribus
 Audiui, & oculis his partim uidi meis.
 Nam quæ hæc amentia est? puerum plenum mero,
 Dominos adhuc madidos hesternæ crapulæ;
 Eos modo quos hinc abire uidimus.
 Sunt hij Dei Christi quæso? O bone deus
 Hancine uitam, hoscine mores, hæc dementiam?
 Actum esse plane diuinare nunc licet
 De his omnibus, solum quibus priuata res
 Cordi est magis, (dicere pudet) q̄ publicæ.

S E C V N V S.

Nec omnia minus pessimi præ suo dio agunt,
 Quàm si esset ingens laus, & uera gloria,
 Perdere gregem quem sibi deus concederet.
 Ecce similia sunt omnia, omnes congruunt,
 Omnes quidem noris, si unum cognoueris.
 Omnes magistro ab uno docti demone,
 Et ex eodem ludo, eiusdem quoq; gregis.
 Est sumptuosa domus, & luxu perdit
 Sunt filij, serui sequunturq; dominos:
 Senex delirans, ipsa si cupiat salus,
 Seruare prorsus non potest hanc familiam.
 O scelera, o hominum mores, & pectora,
 O Maria, o cœlum, genera sacrilegaq;
 Hij sunt sacerdotes, quibus omnis salus
 Committitur, rei præsentis publicæ?
 Adeste, adeste sceleris ultrices deæ,
 Comam solutis squalidæ serpentibus,
 Atram cruentis manibus amplexæ facem:
 Adeste protinus, perditæ prauum genus
 Radicitus, fundite, rumpite, prosternite
 Quicquid relictum erit, procul hinc reicite deæ.
 Sua quemq; tantum, me omnium pestis premit.
 Ve qui ædificat urbem sedato sanguine,
 Et præparat in iniquitatibus suis.
 Circumdabit eum calix domini dextere,
 Et uomitus ignominie eius per gloriam.
 Nam iustum, & impium deus diiudicat

A C T V S

Et impios uidi sepultos suaditus,
 Qui etiam cum adhuc hic uiuerent sancto loco
 Erant, & ibi laudabantur quasi optimi, &
 Operum bonorum effectores sanctissimi.
 Verum quid ego plura anxius dicam? penes
 Heli patrem est omnis culpa hæc. ipse uideat.
 Hic ille qui corruptit liberos suos,
 Connixit omnibus factis turpissime,
 Sumptus dedit frequens, materiam omnis mali:
 Et negligens correxit, si correxerit
 Tamen: quia id raro factum esse nouimus.
 Ve ue sibi quod liberis pepercerit.
 Nam uisitabit peccatum Deus patris,
 In tertium, et quartum generis sui gradum.
 In his, dei nullus, uel iustitiæ est amor:
 Auidi lucri, imperij, superbiæ, doli,
 Fraudis, breuiter ut dicam omnis pariter mali.
 Certant in omne facinus, & pensi nihil
 Ducunt, ubi illos animus præcipites agit:
 Nefasq; nullum, per nefas nati, putant.
 Illos suæ patriæ nullus tangit pudor.
 Nec ulla ratio subditorum ciuium est:
 Quos laniant misere, rapaces sunt lupi.
 Idq; adeo patris mansueto animo factitant:
 Cuius licentia deteriores nimis
 Facti, reduci nullis uiribus queunt.
 Ita fit ubi (malum) non uere uiuitur

S E C V N D V S I

Igitur ne peccent filij curet pater,
 Et uictimas pro illis sacras deo offerat,
 Sed ipse neglexit. Quamuis mea nihil
 Refert, adeoq; nihil curo: doleo tamen
 Nostras eò res uenisse, ut si omnes sua
 Consilia conferant, atq; huic tanto malo
 Querant salutem, auxiliij nil quicq̃ adferant
 Ibo domum, ut quid factò opus sit consulam.

EX CAPITE XII. ESAIÆ.

Chorus Secundus.

Tibi confitebor domine, quoniam iratus es
 Mihi, furor tamen tuus
 Conuersus est: & consolatus me es Deus.

Igitur agam bono omine.

Fiducialiter nihil quicq̃ timens

Quia fortitudo, meaq; laus.

Es, & in salutem factus maximam mihi:

Meumq; solus gaudium.

De fonte saluatoris cum lætitia aquas

Exhaurietis funditus.

Illaq; dicetis dic, qui uiuitis.

Inuentiones maximi

Dei, facite notas cunctis mortalibus,

Et confitemini Deo.

Quoniam bonus, iustus, multumq; misericors,

Et inuocate eius sacrum

ACTVS

Nomen, quod est excelsum super omnia nimis
Cantate, quia manifesta sunt.

Que fecit: & mirabilia sancti Dei,
Annunciate pluribus.

Lauda Sionq; exulta, nam in medio tui,
Magnus regit rex Israel.

ACTVS TERTIVS.

SCENA I.

IOACHIM. HELI.

IOA. **L**ucescit, hoc iam cesso pultare ostium
Pontificis, ut ex me, quo pacto filij
Viuant, sciat. Quamuis adolecentes quidem,
Hoc nolle satis intelligo, & patrem quoq;
Vicinitas tamen, & mea conuersatio,
(Quod ego in propinqua parte amicitie puto)
Facit, ut audacter moneam, & familiariter.
Quia mihi uidentur præter ætatem suam
Facere, & honesti rationem fedissime:
Diucius ferri profecto non potest.
Ipsam foras egressam uideo, & alloquar.
Heli sacerdotum princeps, & maxime
Saluus sis. HEL. Et tu, sed quid tam mane insolens?

IOA. Ita me dii amabunt, ut tuarum miseritum est
Permaxime fortunarum, quare exco.

HELI Credo hercle te gaudere, si quid mihi boni est.

IOA. Verum sacerdotem Dei te maximum,

TERTIVS.

Virumq; grandeuum, uerbis monere me,
 Est turpe: qui domi consilia habes bona:
 Sed quicquid ego facio, tuorum caussa fit.
 Nam me tuam uicem dolere credito.

Omnibus amicis, mihi quod est, cupio esse idem.

HELI Sunt quos sciam esse amicos, sunt quos suspicor,
 Sunt quorū ingenia, atq; animos non possum satis
 Cognoscere, inimici, an amici ueniant boni,
 Ad me, sed ipse mihi ex amicis optimis
 Certissimus uenis. Quare si me improbe
 Fecisse deputans, nil accusaueris,
 Tute ipse eris mihi obiurgandus plurimum.

IOA. Numquā licebit, obiurgare te, mihi,
 Cui subditus sim, tu dominus unus meus,
 Magnus sacerdos. Admonere me tamen,
 Si nesciente te quid fit mali, decet.
 Deniq; tuum est bene corrigere, quod fit male.
 Nam proh deū, atq; hoīm fidē, quid uis tibi? aut
 Quid queris? annos nonaginta natus es,
 Aut plus eo, ut conijcio, diues & opum.
 Seruos habes complures, filios duos,
 Tamen male eductos, (ut pace mihi tua
 Liccat loqui) quos corrigere tuum foret.
 Nam liberos habere nihil est plurimos,
 Sed institutos bene, laudi patri datur.
 Nec est satis genuisse nisi reddas bonos.
 Igitur ob hoc maiorem curam habeat pater

ACTVS

In filiorum animis alendis, dum licet,
 Quam corporibus ipsis, (quoniam mens corpori
 Præstat) quod est officium patris optimi.
 Hominis enim laus ex honore patris sui
 Et dedecus, sine honore, filij pater.
 Nunq̄ placebit impius deo suo,
 Et gloriam sapientes possident pij:
 Stulti sed exultatio uanus pudor.
 Verum quod ex tam claro genere natus es,
 Et filios degeneres tibi produxeris,
 Vitio datur tibi, quorum tu sis pater.
 Et nunc rogabis forsā me, quid fecerint,
 Nequeo tacere enim uero, quos neq; pudet
 Quicq̄, neq; metuunt quemq̄, neq; legem putant
 Tenere se ullam. Nam illa quæ antehac facta sunt
 Omitto, modo quid nam designarint, uide.
 Primum quod est sacrificio homines detrahunt
 Dei: malum ferendum nulli penitus.
 Hei nescientes officium q̄ sit graue
 Dei sacerdotum. Exemplo quibus forent
 Chore, Dathan, Abiron, quos ignis perdidit.
 Cur eleuantur populum super eius Dei,
 Cuius genus sunt electum, regaleq̄;
 Gens sancta, uerbiq; sui præcones sacri.
 Cum mulieribus quæ templi obseruant ostium
 Hij dormiunt: quas est nefas, uel tangere.
 Nam propter mulieris speciem mens frangitur,

TERTIVS.

Et plurimi pereunt: & ex illis quasi
 Ignis rutilus, exardescit animus uiri.
 Vitam quis hanc dissolutam ferre poterit?
 Numq̄ tam mane egredior, neq; tam uesperis
 Domum reuertor, hos quin plenos conspicer.
 Quod mihi dedit tum existimandi copiam,
 Quotidianæ uitæ consuetudinem.
 Quæ cuiusq; ingenium, ut sit, declarat maxime.
 Quid te futurum censes quem assidue excedent?
 Qui diligit epulas in ægestate erit
 Qui uinum amat, numq̄ uere ditabitur.
 Melior igitur est pauper, & sapiens puer
 Rege sene, stulto quoq; qui nil quicq̄ sibi
 In posterum cauere melius possiet.
 Homini bono in conspectu Deus ipse dedit
 Sapientiam, & scientiam superfluum:
 Afflictionem contra peccatoribus.
 Non me sciente fiunt hæc, neq; iusseram
 Adeo, sed hac de re conueniam illos statim.
 Satis uehemens caussa ad obiurgandum tibi est.
 Ea primum ab illis nunc animaduertenda erit
 Iniuria, ipseq; id operam cito dabis:
 Hoc est tuum officium, te spectant omnia.
 Quin restituis eos, ad frugem corrigis
 Ei rei operam dare fuerat multo æquius.
 Si qui probiores facere possis. Non quod in
 Similem, et eandem accederes infamiam;

ACTVS

Malumq; eorum misceres tuo malo.

HELI Curabo sedulo. IOA. Felix sit quod cupis.

Lachrymas mihi excussit, miseretq; eius nimis.

HELI Nec nihil, neq; omnia hæc sunt, quæ dicit, tametsi

Molesta sunt dici mihi, sed ostendere

Me ægre pati illi nolui, quamuis bene

Monet. profecto iniuriam faciunt mihi

Hanc filij: tedere credebam omnium.

Sperabam iam deseruisse adolescentiam,

Gaudebam. Ecce autem de integro, nisi quicquid est

Volo scire procinus. Sed quos uideo uolo.

Et aperiuntur ædes quo ibam commode.

SCENA II.

HELI. OPHNI. PHINEES.

HELI **Q**uid audio mali o filij mei?

Quid agitis? usq; quo quæso nam infantiam

Diligitis, & sequimini quæ sunt noxia

Vobis, mihi, totiq; nostræ familie?

Nolite filij, conuertimini ad meam

Correptionem, uobis ipse ego proferam

Huc spiritum meumq;, ostendam oris mei

Verba, patris affectu: solumq; audite me.

O filij obseruate tempus, à malo

Ceu peste diuitetis longius procul.

Ne differatis conuerti ad dominum Deum,

Subito uenit, & opinantes nil opprimit.

T E R T I V S:

Namq; ira preceps illius, taciti gradus:

Et uos breui uindictæ perdet tempore.

Nam si in uirum uir quid grauius peccauerit,

Placare ei Deus potest, ueniæ dator:

Si autem in Deum peccauerit, quis ibi rogat

Veniam uiro? nisi detur sola gratia.

OPH. Quid igitur est pater? quid tandem fecimus?

HELI Rogas. Dei populum mandata transgredi

Facitis, & ipsis mulieribus operam datis

Turpem: mero pleni omnem uitam uiuitis.

Erratis animi si me ignarum dicitis

Vestri, nec est quòd me lateat, palam quod est.

Sumptus in his rebus, quos fecistis, tuli:

Et tempus esse dixi, lusum quoq; satis,

Quæ tum, obsecuti mihi, fecistis ut decet.

Nunc uos eandem in uitam rediistis scio,

Quin dirigite uestras uias in optima,

Et ambulate per uias rectas Dei.

Sic permānebunt actus uestri perpetim:

Sin uolueritis, & permanseritis, ego

Immunis ero, uos ambo perietis tamen.

Et facitis adeo mihi, & omnibus iniuriam.

OPH. Nil esse pater istorum, quæ nunc dixeris,

Dabimus quidem iusiurandum, & quid amplius.

HELI Gaudeo, ita me dij ament: nam uos pariter amo.

PHI. Cui est pater tantum ocij de re sua?

Vt curet aliena, nihil quæ ad eum pertinent.

ACTVS

Tu quoq; pater (quod hic dicendum sit tamen)

Es credulus nimium, non laudo, nec oportet.

Iam bis puer, pedem in Charontis cymba habens,
Moueris his dictis prauis mortalium:

Et nos habes propter paucos contemptui.

OPH. Namq; hoc student, scio, paternū animum tuum,

Vt pœnitus transmoueant à nobis quidem,

Quod si futurum est, iam perimus funditus.

HELI Non filij, non sic fiet, credite mihi,

Sed hæc facere uos sedulo tantum uelim,

Quæ essent honori uobis, & laudi Deo.

PHI. Nihil pater sit tibi curæ, namq; omnia

Quæcunq; fiunt, recto fiunt ordine.

Nec iure quisquàm possit unquàm conqueri

Facimus, ad extremum usq; uite spiritum.

Quid uis aliud. HELI. ut curetis uestram fidem.

PHI. Fit sedulo pater. HELI. Valet filij.

SCENA III.

THEANDER. HELI.

THE. **H**Eus heus Heli siste gradū, sta, atq; respice.

HELI. **H**Quid est? loquere dñe, qd uis? ego audio.

THE. Hæc dicit unus cuncta qui regit Deus,

Nunquid locutus sum patris domui tui?

Cumq; esset in dementi Aegypto captus, in

Regis domo Pharaonis? illo tempore

Elegi eum ex omni tribu sacra Israël

T E R T I V S.

Mihi in sacerdotem meum, ut ascenderet
 Ad sancta sanctorum, sacra munera offerens.
 Cur calce uictimam abiiecisti pessimi,
 Et munera mea, quæ offerri præceperam.
 Et magis honorasti ipse, quàm me, filios
 Tuos, ut omnis primitias sacrificij
 Ederent mei populi. Quare dominus Deus
 Ait, locutus sum loquens, ut tua domus,
 Tuiq; patris mihi ministraret Deo
 In sempiternum, in conspectu sancto meo.
 Nunc dicit ipse dominus, absit hoc procul.
 Sed qui me honorificat, glorificabo illum ego.
 Ecce uenient dies ut brachium tuum
 Sic præcidam, ut non sit senex tua in domo.
 Hoc signum erit tibi, quod uenturum est tuis
 His filijs duobus, Ophni, & Phinees:
 Vno die morientur ambo turpiter.
 Et suscitabo mihi sacerdotem nouum:
 Pium, & fidelem, seruum iuxta animam meam.
 Hic ambulabit mihi coram Christo meo,
 Cunctis diebus felix omni tempore.
 Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit
 Nunc tristius? Deus paciens altissimus
 Est redditor: sed in peccatores grauis
 Ira illius dupliciq; pœna respicit.
 Sapientiæ est radix timere modo Deum
 Et illius rami longæui maxime.

ACTVS
SCENA III:

DEVS. SAMVEL. HELI.

DEV. **A** Vdi Samuel, audi. S A. Loquere dñe deus.

DEV. **A** Opera uides Heli sacerdotis, quem ego

Diu uocaui, & extendi meam manum,

Sed ipse renuit cæcus consilium meum:

Deniq; meas correctiones respuit:

Ecce ego facio uerbum meum hoc in Israël,

Vt quisquis audierit, illi aures tinniant.

Illa in die, contra sacerdotem senem

Heli, malum omne suscitabo percite.

Quodcunq; sum locutus super eius domum

Fiet sine mora, & complebo, ut dixi antea:

Quod ego suam essem iudicaturus domum.

Propter scelera, & iniquitatem eius nimis.

Eo quod ipse nouerat male filios

Agere, nec illos serio correxerat.

Idcirco iuravi domui, in ira mea,

Suæ, nec expietur illa iniquitas

Vllo sacro munere, nec ullis uictimis.

Qui scelere partus est, scelere pereat gradus.

Sic ego deus faciam cunctis parentibus,

Qui filijs indulgent, & nil corrigunt.

Peccata eorum de manibus quæram patrum,

Aut hic inopia, aut illic æternaliter.

Abominatio mihi est lenis pater:

Et negligentem proprios circa liberos

Vlciscar

TERTIVS:

Vlciscar hac mea manu grauissime.

Maledictus erit in ciuitate sua quidem

Et horreum suum, cumq; domo corruet.

Maledictus & fructus fiet sui soli.

Omniq; tempore sustineat calumniam.

Et opprimatur hostium uiolentia.

Caelum quod est supra illum fiat cencum,

Et terra, quam pedibus calcabit, ferrea.

Vita mala paruulorum interficiet eum.

Illumq; prosperitas stultorum perditum

Faciet, timorem qui non suspicit Dei.

SAM. Domine Deus quis tibi quæso resisteret?

Noui quod es iustus: quæcunq; dixeris

Facis. Ego me commendo tibi Deus meus.

Heu mihi quis horror incescit animum meum.

Numquam dei sententiam ulli dicerem,

Multo minus seni patri: ni me mala

Premèrent graua, quæ sunt futura protinus

Heli super, domumq; eiusq; liberos.

HELI Samuel ueni meorum dilectissime,

Dic quid locutus est dominus tecum Deus,

Oro ne me celes quicquam, quæ dicta sunt.

Sed si mihi ex illis aliquid absconderis,

Faciat tibi Deus ea, & addat plurima.

SAM. Irascitur dominus in te grauiter Heli.

Neq; auferretur de domo tua malum.

Tecum furentes sceleribus pœnas dabit

ACTVS

Vterq; filius, adest mortis terminus.

HELI Quod est bonum in oculis suis faciat deus,
 Ego sub potestate eius sum, ipse dominus est.
 Fatum sequar, quo me cunq; ire iusserit.
 Spes nulla monstrat rebus afflictis uiam.

PRO MAGISTRATV ET PACE
 publica. Ex Psal. XX. Chorus III.

SI casus metuis graues, uidesq;
 Sub uita dubia, timore plenus.
 Quid possis melius? præccsq; uota
 Summo funde deo, iuuabit ipse
 Excluis procul omnibus molestis.
 Te ægrum sancta sui umbra subleuabit.
 Mittens auxilium, sacro olympto:
 De certa; Sionis æde, iustus
 Te forti digito tuebiturq;.
 Cui sunt munera grata, quæ dedisti,
 Tenebit memoriq; mente cuncta.
 Et quicquid petis ipse subministrat,
 Cordis consiliumq; complet omne.
 Exultabimus in salute multa,
 Ponentesq; deo trophæa sancta.
 Nam pondus faciet preces habere
 Nostras, nomine sub suo potente.
 Certus deniq; sum, quod unus ipse
 Conseruet, foueat pius suum unctum
 Nam cælo residens, uocantis audit

Q V A R T V S.

Clamorem, unde salus uenit ad inum.
 Confidunt in equis, rotisq; multi:
 Nostra autem in domino deo manet spes.
 Hij uicti siquidem cadent sub armis,
 Cum nos pectora celsa stare cernas.
 Nobis auxilium Deus fer, audi
 Vocem, solliciti opem petemus.

ACTVS QVARTVS.

S C E N A I.

HELI. OPHNI. PHINEES.

HELI **P**roh sancta pietas, proh gubernator poli,
 Vnde ista rerum subita uenit calamitas?
 O filij uictores sunt Philistijm:
 Hominum genus prauum, quo non aliud magis:
 Idolatræ, cultores uani demonum.
 Quibus tamen cadunt omnia foeliciter.
 Fortuna fallax abditos sensus gerit,
 Animisq; pulchram turbidis faciem induit.
 Quid fiet amplius? mei non sum potens.
 Et ipsa nostræ fata cognosco domus.
 Nam cæsa sunt quatuor uirorum millia,
 Statimq; totus Israël reuersus est
 Ad castra sua, relictis spolijs optimis.
 Natuq; maiores dixere ad inuicem,
 Huc afferamus de Silo arcam fœderis
 Domini Dei nostri, ut saluet nos de manu

A C T V S

Philistijm. Leuemus arcam, forsitan
 Pugnabit illa uobiscum, quoniam in ea.
 Sunt sancta testimonia domini Dei,
 Quæ patribus disposuit nostris, sancto
 In monte Oreb. Post Aegypti longam fugam.
 Igitur uoluntati patrum resistere
 Non licet. & ipsa res agitur hic publica.
 Quare sacram mittamus arcam proxime
 In castra nostrorum quidem popularium:
 Quo de manu salui fiamus hostium.
 Vos ite filij itineriq; accingite,
 Vestrum est opus, munusq; sacerdotum pium,
 Parate cuncta, quæ necessaria fore
 Putatis, ut quam primum fiant liberi,
 Per uos, metuq; soluantur nulla mora.

OPH. Tuum pater mandare, nostrum est exequi
 Mandata, quod probos decet nos filios.
 Ibimus, & hanc diuinam rem iuuabimus,
 Pro uiribusq; fortiter pugnabimus
 Ad gloriam Dei: is uictoriam dabit
 Populo suo Israël. Cuius sunt in manu
 Mortalium consilia, quo uult dirigit.

PHI. Ergo pater tu solus hic manes domi.

HELI Maneo, uir exanguisq; bello inutilis.

PHI. Igitur Deum precare, namq; illum tibi,
 Certo scio, quo uir melior multo es quidem
 Quàm nos sumus, ita obtemperaturum magis.

Q V A R T V S.

Vt omnia ex sententia nostra cadant:
Saluūq; tibi redcamus ambo propedim,

HELI Vtinam cito, sed cum uestra uictoria.

S C E N A II.

HELI.

HVe huc pias, & duplices palmas tendite
O Israelitæ, in cœlum, pro gratia.
Nam barbari has segetes habebunt milites,
Agros quibus miseri nostros conseruimus.
En huc malorum nos duxit discordia.
Armatus accedit miserescere nescius
Hostis: timendus quo non est alius magis.
Hæc nostra franget uictor, huc spolia auferet,
Victosq; ducat cum pueris, ipsos senes:
Matres ab ipso coniugum raptas sinu
Seuus catena miseræ imposita trahet,
Nos, nostraq; bona marcijs telis petet,
Flammisq; tecta, & exiguo trudet lare:
Nisi ueniat è sublimi uictoria
Cœlo, suumq; populum respiciat Deus.
Quin hostibus uirtute uestra obsistite,
Reicite iugum, libertatem defendite:
In seruitutem cadere de regno graue est.
Nec interim timendus multitudine
Hostis sua, ad disperdendas leges patrum,
Qui nunc uenit: Verum fortes pugnabimus.
Dominus Deus sub nostris manibus conteret

ACTVS

Eos, & in facie eorum nos liberat.
 Adfunt manu fortissima, dudum stetit
 Acies in armis: era iam bellum cient,
 Diramq; pugnam signifer motus uocat.
 Accingimini, & estote uiribus uiri.
 Quoniam melius est infausto bello mori
 Nos, quam uidere gentis Israël mala.
 Clamemus in cœlum, & nostri miserebitur
 Deus, memorq; fiet foederis sui,
 Sanctiq; testamenti quod cum patribus
 Nostris prius fecit. Dabit pacem omnibus
 Sperantibus, fidelis est dominus deus.
 Nec derelinquet electum populum suum.
 Sed ecce prodeunt cumq; arca filij.
 Laudate dominum omnes gentes, psallite Deo.
 Quoniam super nos eius misericordia.
 Pergite uiri, nec ulla uos frangat mora.
 Dominus manus ducat uestras ad prælium.
 Pugnetq; pro uobis Deus dux sanctior.

SCENA III.

IACOB.

Heu quid mali futurum miseri cernimus.
 O terq; quatterq; beati, quis contigit,
 Ante ora patrum obpetere, Mose sub duce,
 In inuio deserto, æstu grauissimo.
 O Israël tui appropinquat seculi
 Finis. Quid autem magne regnator deũs

Q V A R T V S.

Tam lentus audis scelera? tam lentus uides?
 Ecquando seua fulmen emittes manu?
 Aut quando peccatum contra te erit satis?
 Nemo tui curam gerit planissime.
 Illi, penes quos omnis est authoritas,
 Cunctis mala imitandi uitæ exempla dant.
 Nunc quū foret pugnandū aduersum uim hostiū,
 Commissa ratio est belli perditis uiris,
 His qui tui arcam fœderis secum ferunt:
 Homines quibus sacri nihil quicquam placet,
 Contemptui quibus populi tui est salus.
 Te te creator, cœlitum testem inuoco,
 Qui cordium scrutator es mortalium,
 Actum est, perijt omnis res nostra publica.
 Videor uidere illum diem, quo nam simul
 Labem hanc pudoris eluct noster cruor.
 Hinc me paternis laribus expellit timor,
 Quæ posse fieri non putem, metuam tamen.
 Cuncta expauesco, meq; non credo mihi.
 In nos aliquid iam fâta moliri parant.
 Nam quid rear, quod generi isti deperdito
 Comissa sit, non bene, res omnis bellica.
 Omnes graui quidem reseruamur malo.
 Proh misera pietas, eloqui fatum pudet.
 Nos tandem eò deuenisse miseræ, dolet,
 Vt sit periculum uitæ, res nil moror,
 Si modo liceret aliquo pacto uiuere.

ACTVS

Est pauperi res, uita, quoq; suauissima.
 Sed proch dolor sic nos fortuna circumagit,
 Imperia sic excelsa fortunæ obiacent,
 Vt nulla spes miseris reliqua nobis siet.
 Vtcunq; tamen euenerit fatum feram.
 Haud est uirile terga fortunæ dare.
 Aut ante tempora extrema animo deiici:
 Viuis quidem sperandum dum spirant erit.
 Sed quid ego frustra has rationes hic deputo
 Cum nemo sit, cui res cordi uere siet.
 Vestro tamen damno, & sero uidebitis
 Aliquando stultum opportuna locutum uirum.

ACTVS QVINTVS.

SCENA I.

BINIAMITES Nuncius.

Obsecro populares auxilium mihi
 Ferte, miseroq; subuenite inopi statim.
 Quisquis ades hic meas querelas pendito
 Miserere nostri, & nunc uoces placidus pius
 Paciensq; recipe, mitius lapsum preme.
 Misero datur, quodcunq; fortunæ datur.
 Audite Maria, tuq; terra audi hoc scelus.
 Audite, quicunq; super estis, protinus.
 Audi domus Dei, gens sanctaq; reliqua,
 Tibi sum relictus, sola tu miserum uides.
 Pro me nihil precabor, sed uerum sero.

Q V I N T V S.

Israël cecidit, heu flebili leto occubat,
 Euerſa domus eſt funditus, regna occidunt.
 Millia uirorum triginta iam caſa ſunt;
 Et arca domini capta ſub manu hoſtium eſt,
 In qua una erat ſpes conſtituta militum.
 O ſaeculum infelix, infauſta o dies
 O hora maledicta dici, in qua pugna erat,
 O nulla longi temporis ſcælicitas.
 Etiam ille adhuc me terror attonitum mouet,
 Vocem dolori lingua luctifica negat.
 Quoniam ſalus uno periit Israël die,
 Omne refugium abiit, iacet ſpes omnium
 Nec proloqui datur quæ ſors quaſſam domum
 Dei aggrauet, quibus triſtetur luctibus.
 Poſtrema paſſa fata nunc proſternitur.
 Fugiens ſceleſtas hoſtium euito manus,
 Vix quoq; manus effugi ſolus hoſtium
 Philiſtym impiorum, bene pugnantium.
 Nam uulnera impreſſo properans ferro dedi,
 Et uulneratus uitam defendi fuga.
 Deſtenda lachrymis funera, ac populi ſtrues,
 Infeſta, genti ſtrage tam late edita.
 Nulli pepercit ætati uis hoſtium,
 Miſerabilis ſtrages facta eſt populi dei,
 Vlulatus ingens & clamor cadentium
 Horrendus, in cœlum triſtis uox perſonat.
 Manans cruor campos inundat turpiter tepidus

ACTVS

Et membra prosternuntur hic miserrime.
 Nihil loci sepulturæ relinquitur,
 Auium cibus uirorum fiunt corpora,
 Et ore lacerantur ferarum turpium.
 Quid agimus Israëlité, nihil amplius
 Spei relinquitur, consilij quit nihil
 Consistere in turbato nimium pectore.
 Irascitur Deus, nec est finis suæ
 Iræ super nos, augetur sed indies
 Peccauimus, et iniquitatem fecimus
 Cum patribus nostris, nec qui miseretur est.
 Nisi tu Deus peccata grauiam remiseris,
 Age penitentiam quisquis homo uixeris,
 Corpus tuum sacco, & cinere caput reple,
 Ieiunio trium dierum quoq; uaca,
 Et macera carnem pro peccato tuam
 Quis scit an ipse misereatur tibi Deus.
 Aliquando tempus ueniet, ac felix Dies,
 Defensor Israël, quo descendat Deus:
 Et de manu nos inimicorum uindictet,
 Si perseuerat hostis ita, perimus, &
 Iam funditus nostrum nomen delebitur.
 Scio quo feratur, quanta moliri paret,
 Ideoq; timeo, sed uos nihili ducitis.
 Pectus mihi meum, magna præfagit mala
 Cladis futuræ, quasi sit hæc non maxima.
 Sed tu Deus facile impij belli minas.

Q V I N T V S.

Auertere unus, tuq; uæcordes potes
Inhibere inimicos, ciuibus pacem dare,
Patriæ quietem, uictis uitamq; miseris.

S C E N A II.

HELI. NVRVS. OBSTETRIX. PVER.

HELI **Q**uid est, quod omnes passim ueloci gradu
Hinc inde cursitã, tñõ frustra est, qcqd est.
Heus aduocate puerum, ut quidnam sit sciam.
Audi obsecro tu mea nurus, tuq; obstetrix,
Quis urbis hic clamor, uel quæ calamitas?
Nouum malum timeo, nec aberit longius.
Ululant, tremunt, plorant, clamantq; plurimic
Nihil boni mens mea præfagit penitus.
Abi roga quid sit, redi uelociter.

NVR. Hem mi pater, sursum, deorsumq; omnia
Verti uideo, uæ miseræ foeminæ mihi.
Pol non sum apud me, curriculo curre obstetrix,
Vide quid hoc fiet. OBS. Puer adest tibi statim.

NVR. Hem quis dolor, tremor manuum, quis mihi timor
Incessit animum, uel quis horror me mihi
Auffert, ut omnino animi uix compos siem.
Ita hoc misera sollicita sum nimis die,
Aut uir meus mortuus est, aut exercitus
Omnis fugatus est. PVER. Venit uir aduena
Modo, caput nudus, scissisq; uestibus,
Sanguine nimis misere conspersus undiq;
Afflictus alto per caput uulnere suum.

ACTVS

Is nescio quid clamitet, nam omnes timent
Sibi, futurum aliquod horrent magnum malum.

NV. Ach aduoca pater hominem, quo protinus
In rebus afflictis, salutem querere
Liceat, prius q̄ pereamus morte miseri

HELI Scrum est cauendi tempus in medijs malis,
Miserrimumq; timere est, cum speres nihil.
Nam magna lachrymis pars adhuc nostris abest.
Eatur, atq; conuocetur huc statim.
Bene cogitata respiciat summus Deus.
Perge puer illumq; huc celeri deduc gradu.

SCENA III.

Biniamites nuncius. Puer. Heli. Nurus. Obstetrix.

BIN. **Q** Vis mihi sacerdotis demonstrat maximi
Ac des Heli, ut de me primus casum sciat
Isrâel grauem. PV. Hospes ego te q̄rito frequens,

BIN. Quid est. PV. Senex Heli te conuentum expetit.

BIN. Ibi sum puer, duc me. PV. Sequere. BIN. pmaxie,

HELI Huc mihi feras sellam, sedebo paululum
Nam stare donec ueniat hospes tedium est.

NV. En mi pater adest illic. Horresco intuens.

HELI Videre prorsus nequeo, uisus deficit
Me, huc aduoca. PV. Hic est quē quæstisti sedulo.

BIN. Ego sum ille qui de acie fugi celerrime
Ex prælio. HELI. Quid actum est, dic fili mihi:
Clades ne metuas fortiter fari asperas,

Q V I N T V S:

Non imperatum pectus ærumnis ferro.

Dic mihi quid actum sit, ueri nihil nega.

B I N. Fugatus Israël, coram Philistijm

Cecidit graui pugna, ruinaq; maxima

Facta est, & insuper duo filij tui,

Sunt mortui, pugnantes fortiter prius.

Primo cecidit Ophni, Phinees tardior,

Conuersus ad pugnam truci uultu ferrox,

Stat intrepidus, & neq; tulit retrogradum,

Ferrum, ut latere dextro eius, hostis abdidit,

Subitus recepta morte prorupit cruor

Per uulnus ingens. Nec tamen moriens adhuc

Deponit animum: cecidit arcam continens

Forti manu premit, sed frustra: fortior

Hostis Dei arcam morienti sibi abstulit.

Sic arca capta est cito malis ab hostibus.

HELI De filijs, et me Prophetauit quidem

Theander, ut moriamur simul uno die.

De arca nihil dictum tamen fuit, quid hic

Possum, ecce perijt Israël, quoniam ab eo

Ablata iustitia. Ve misero mihi seni

B I N. Quid tibi pater? ceruicem fregit penitus.

NVR. Ach differor doloribus, iuua, iuua.

O Obstetrix iuua, morior doloribus.

Summe Deus o pater, cœlorumq; arbiter

Serua, mei miserere, opem ser obsecro.

OBS. Ach mea seras pacienter, nam tibi natus est

ACTVS

En filius. melius igitur spera fore.

NV. Ach quid misera dicam? morimur nunc quattuor

Vna pro anima, socer, leuir, maritus, &

Ego mulier, ue mihi, spiritus ah deficit.

OBS. O sors acerba, & dura famulatus grauis,

Cur te ad nefandos nuncium casus uocat,

Cur huc uenire optasti, caussa omnis mali:

En mortui senex, nurusq; eius iacent.

Quos tu peremisti hoc infausto nuncio.

O dira fata numinum, o seuus furor

Sic ad patrem gnatorum mors uoto redit.

Bellum peractum est. Quo meas lachrymas fera.

Nurum, an senem, duos uel filios fleam?

An omnia? an me? sola mors uotum meum.

Et hanc anilis expuam leti moram.

Vitæ meæ tedet, uideo stabile nihil.

Iacent perempti turpiter, quos antea

Eximia dignitas, alto sub limite

Tulit, rigida nimis uicissim mors premit

Inglorios. pedibus subiecit hostium.

Hæc est superbæ dubia fortune alea.

Cui quisquis aut fidit, stultus uel credidit,

Dignus malo quouis, et infortunio.

Huc exanime corpus uehite mecum uiri,

Patefacite acerba cede funestam domum,

Quo mortuorum corpora ferantur statim.

Nam quid boni speremus, non est amplius.

HORAM MORTIS NON ESSE

timendam, quòd omnium certissima sit.

Ex Eccle'ca. XLI. Chorus V.

Heu quàm grauis res est mori mortalibus,
Memoriaçq; mortis pallidæ
Amara, pacifice uiuentibus uiris
Rebus quietis omnibus:
Et qui ualent sani suos capere cibos,
Quibusq; deficit nihil.
Contra, bonū iudicium, o mors est tuum
Homini indigenti pluribus.
Et uiribus languenti, tremulo corpore,
In ultima ætateçq; sua.
Nihilçq; credenti, uel qui spem perdidit:
Nec quid futurum prospicit.
Noli timere mortis iudicium graue.
Aequo regit pede omnia.
Sed, te priorū, quos nūc Tartarus premit,
Et ultimorum memineris.
Quia hoc erit iudicium æquum carni tuæ,
Quod protulit iustus Deus.
Et quid recusas in beneplacito Dei
Altissimi: cui debeas.
Siue tibi sint decem, siue anni centū erunt,
Aut mille, uel quàm plurimi:
Nil nisi cinis es, & umbra terræ futilis.
Et terminus uitæ breuis.
Nec est in inferno, uitæ accusatio:
Viuas igitur mortis memor.
Et sic, in æternum non peccabis quidem,
Dum cogitas nouissima,

A 199087

HORAM MORTIS NON ESSE
AVGVSTAE VINDELICORVM
PHILIPPVS VLHARDVS
EXCVDEBAT.

